

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA BENEDICTI PP. XV

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES, PER QUAS PUBLICAE INDICUNTUR PRECES PRO CONVENTU DE PACE COMPONENDA.

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod iam diu orbis terrarum anxie expetebat, quod christiane gentes omnes magnis precibus implorabant, quod Nos, ut communium dolorum interpretes, paterno erga omnes studio instanter quaerebamus, id momento factum cernimus ut arma tandem conquierent. Nondum quidem crudelissimo bello finem solemnis pax imposuit; sed tamen pactio illa, qua caedes et vastationes terra mari caeloque intermissae sunt, ianuam adiutumque ad pacem feliciter patefecit. Quae rerum subita commutatio cur evenerit, multiplices variaeque sane possunt caussae afferri : verum si ultima et summa ratio quaeritur, ad Eum demum mens attollatur oportet, cuius nutu moventur omnia, qui-que, sollicita bonorum comprecatione ad misericordiam inductus, dat humano generi ut a tam diurno angore luctuque respiret. Itaque pro tanto beneficio ingentes benignissimo Deo

agendae sunt atque habendae grates : gaudemusque ob eam rem in orbe catholico crebras et celebres pietatis publicae significations factas esse. Nunc autem illud est a Dei benignitate impe-trandum ut collatum mundo beneficium ac munus cumulet quodammodo et perficiat. Scilicet propediem in unum convenient qui, populorum mandato, debent iustum mansuramque pacem orbis terrae componere. Deliberatio iis habenda est talis, qua nec maior unquam nec difficilior in ullo hominum consilio habita esse videatur. Nimium quantum igitur divini luminis ope indi-gent, ut recte possint mandatum exsequi. Quum vero communis salutis hoc vehementer intersit, profecto catholicorum omnium, qui, e sua ipsorum professione, humanae societatis bono et tran-quillitati student, officium est « assistricem Domini sapientiam » eisdem delectis viris comprecando conciliare. Huius officii Nos, quotquot sunt catholici homines, commonefiant volumus: quare, ut e proximo conventu magnum illud Dei donum exsistat quod est vera pax, christianis iustitiae principiis constituta, vos, Ve-nerabiles Fratres, *Patri luminum* propitiando- publicas ad arbi-trium vestrum supplicationes in unaquaque vestrarum dioece-sium paroecia indicere maturabitis. Nostrum vero erit, cum Iesu Christi *Regis Pacifici* vices, quamquam nullo merito, gera-mus, pro apostolici muneri vi et auctoritate contendere, ut quae ad tranquillitatem ordinis et concordiam toto orbe perpetuan-dam consulta erunt, ea volentibus animis ubique a nostris exci-piantur, inviolateque serventur.

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae No-strae, vobis et Clero populoque vestro apostolicam benedictio-nem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die i mensis decembris
MDCCCCXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS PP. XV